

oves pacere verbo prædicationis, & exemplo boni operis, & insuper habeat doctrinam sufficientem ad Sacramenta rite administranda. Parochus ergo debet habere 25. annos, quando acta administrat, potest tamen beneficium conferri ei, qui intra annum possit Sacerdotalem Ordinem suscipere: quod si non suscipiat, legitimo cessante impedimento, ipso jure beneficio pervatur: Debetque Parochus professionem fidei facere, & obedientiam Pontifici jurare, vel per se, vel per Procuratorem speciale in manibus Episcopi, vel Vicarii intra duos menses à tempore beneficii obtenti: alias amittit beneficii fructus: quam quidem pecuniam probabiliter incurrit, etiam ante Judicis sententiam. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* si tamen ex ignorantia, vel oblivione professionem non fecit, non amittit fructus in foro conscientie, sed in foro exteriori. Quod si ad novum beneficium Parochiale promovetur, iterum faciet professionem fidei. Parochus habet jurisdictionem ordinariam à jure in foro interno, ac proinde non indiget approbatione ad administranda Sacramenta suis Parochianis, potestque illorum confessiones audire, non solum in sua, sed etiam in aliena Parochia ejusdem Diocesis. Imò, & in toto Mundo juxta aliquos. Potestque suis Parochianis in observatione aliquorum Ecclesie præceptorum dispensationem indulgere, si necessitas urgeat, & recursus ad Episcopum difficilis sit: v. g. ut in die festo possint laborare, vel in die Veneris carnes edere. In votis autem dispensare nequit, nec ea commutare: nec potest censuras infligere, nisi ubi ex legitima consuetudine hoc introductum sit: nec potest peccata subditorum reservare, nec dispensare in proclamationibus, potest tamen declarare hic, & tunc non obligare proclamationis præceptum, ob aliquam, urgentissimam tamen necessitatem, si Episcopus non possit adiri. *Laeroix lib. 6. p. 3. n. 494.* Insuper Parochus tenetur in Parochia residere: à qua non potest abesse ultra duos menses, nisi causa cognita, & approbata ab Episcopo: alias graviter peccat, nec facit fructus suos, solum respondententes neglectæ residentie: Debet namque suas oves agnoscere, & aliquando visitare, præcipue infirmos, pro illis sacrificium offerre, Missas aliquando celebrando: pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam debet gerere paternam, peregrinos, & hospites susci-

perere: pauperibus elemosynam dare: ad peste infectos accedere: quin, & cum vitæ periculo tenetur suis Parochianis in gravi necessitate spirituali succurrere. Quæ omnia ex *Trid. Barbosa de Offic. Paroch. & alijs* latissimè continent. In Indijs autem Clerici, qui ad oppositionem, & concursum vi Editorum accedunt, examinantur ab Episcopo, vel Capitulo, Sede vacante, per Examinatores Synodales, & Assistentem Regium: Hic enim est communiter quidam vir doctrina conspicuus, qui nomine Regis examini assitit: sed nec examinat, nec suffragium habet. *L. 37. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* Examine finito tres ex concurrentibus proponuntur ab Episcopo, vel Capitulo Pro-Regi, vel Governatori, qui nomine Regio patronatum exercet: hic unum eligit, seu nomine Regio præsentat, cui quidem datum collatio, seu Canonica institutio ab ipso Episcopo, vel Capitulo. *L. 24. tit. 6. lib. 1. R. Ind.* deberque sic institutus, seu Parochus electus scire, vel addicere linguam Indorum, quibus est administraturus, alias removetur. *L. 4. tit. 13. lib. 1. R. Ind.* In pluribus Indiarum Provincijs, & præcipue in his Infulis, ob Clericorum Sæcularium inopiam Religiosi Parochijs præficiuntur. Et in Legibus Regijs *doctrinas, reducciones, y doctrineros* dicuntur. Sed certè tales Religiosi eandem obligationem, ac Parochi Sæculares habent: si quidem non administrant præcise ex voto charitatis, sed ex obligatione justitie: quæ obligatio in alijs ex collatione Canonica, quam suscipiunt: in alijs ex contractu, vel quasi contractu cum Rege intro oritur: si quidem nostri Reges non aliter volunt, tales Religiosos ad has Provincias transire, nec in eis permanere, quam hac obligatione suscepta: in quam ipsi Religiosi consentiunt, eamque libenter, & sponte amplectuntur, & præterea Regium stipendium percipiunt. Itaque est declaratum in *l. 30. tit. 15. lib. 1. R. Ind.* & ita ego defendi cum Casus Morales in Collegio Manilano resolverem. Nunc demum pro digniorum electione statuit Benedictus XIV. quod omnia beneficia curam animarum habentia conferantur post concursum, maxima æqualitate quo ad examen in litteris inter omnes concurrentes habendum, post tale examen Episcopus eligit digniorem ætate, moribus, doctrina, alijsque qualitatibus, juxta modum præscriptum in Constit. *Cum illud* 14. Decemb. An. 1743. *

Cum

278 Cum in questione de limitibus Parochiarum agatur de cura animarum extendenda, vel restringenda, talis quidem questio, & causa spiritualis censetur, ac proinde ea, quæ ad jus circa ipsam spectant, non possunt ad Laicorum cognitionem spectare. *c. 3. de Probation. c. 1. c. 4. b. t.* nam Laici sunt incapaces jus spirituale possidendi. *c. 2. de Judic.* Consequenterque nec tempore immemoriali possunt Laici cognitionem limitum Diocesium, vel Parochiarum præscribere: Si verò tantum questio de aliquo facto incidat: v. g. si dubitetur, quouque limites Parochie extendantur: vel an alicujus populi victio in hac vel in illa Ecclesia perceptorum Sacramenta, vel obtulerunt decimas, vel primitias: vel ante reus conventus Laicus sit: vel quid simile: in his enim casibus potest Judex Sæcularis cognoscere, cum factum, etiam de re spirituali, merè temporale sit. Et quidem licet fundus, vel solum, in quo sunt limites Parochie, vel Diocesis, possit præscribi ad hoc ut proprietatis illius fundi, vel soli ad præscribentem pertineat ex Text. sic intelligendo in *c. 9. de Prescriptionib.* limites autem quæ tales Diocesium, & Parochiarum, si certi sunt, non præscribuntur, Jure ipso tali præscriptioni resistente, *c. 5. c. 6. c. 7. 16. q. 3. c. 4. b. t. L. 3. C. de Fundis limitroph. lib. 11.* Et quidem nec immemoriali præscriptione ob textum generalitatem, valet præscribi: & merito, ne facile confundantur limites autoritate publica, & ob publicam utilitatem constitui: & ut vitentur jurgia, quæ pullularent, si autoritate privata, antiquis limitibus ablatis, non possent constitui. Aliud est, quando limites non sunt certi: siquidem tunc ob præsumptionem in favorem possessoris possunt utique præscribi *c. 4. b. t. c. 2. 16. q. 3. & comm. DD.*

T I T XXX.

De Decimis, Primicijs, & Oblationibus.

279 TRES partes continet præsens Rubrica, de quibus de Decimis ordine agendum est: jam ergo de Decimis quas Deo, & Sacerdotibus Dei dandas Abraham scilicet, & Jacob promissis insinuat: *scilicet Lex statuit, & omnes Sancti Doctores commemorant. c. 6. 16. q. 7.* & ut Augustinus dicit in *c. 66. 16. q. 1.* si decimas dederis non solum abundantiam fruc-

tuum recipies: sed etiam sanitate corporis, & anime consequeris. *L. 20. tit. 20. p. 1.* E contra verò decimantibus infideliter eveniant fames, paupertas, vermes, locustæ, & tempestates. Et ut ait *D. August.* ubi supra: *Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si illi decimam non dederis, tu ad decimam revocaris: dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti. Decima igitur Ecclesiastica, de quibus in præcænti, sunt decima pars fructuum, & proventuum justè quasitorum, debita Deo in recognitionem universalis dominij, solvenda quidem Ministris Ecclesie propter spirituale ministerium. c. 26. c. 33. b. t. l. 1. tit. 1. R. G. L. r. tit. 20. p. 1. ibi: Diezmo es la decima parte de todos los bienes, que los omes ganan derechamente, è esta mandò Santa Iglesia, que sea dada à Dios, porque èl nos dà los bienes, con que vivimos en este Mundo.* Et merito quidem Sacerdotibus solvuntur: nam juxta Christi Domini doctrinam: dignus est operarius mercede sua: debent namque fideles rebus suis temporalibus alere eos, qui ipsi in spiritualibus inserviunt: & hæc ratio dicitur, decimas Jure Naturali, & Divino deberi. *c. 14. c. 25. c. 32. §. 1. b. t. c. fin. 16. q. 1.* Vel etiam quia in Lege veteri debebantur. *Levit. 27. v. 30.* quin & ante Legem Moysacum fuerunt introductæ. *Genes. 14. v. 20 & 28. v. fin.* Consequenterque quoad originem, & quatenus continent congruam Ministrorum sustentationem Juris Naturalis, & Divini merito recententur. *c. fin. 16. q. 1. & sic intelligendi veniunt Text. in c. 14. c. 25. c. 32. §. 1. b. t.* non tamen sunt Juris Naturalis, nec Divini, quoad quotam, hæc est, *quoad partem decimam.* Nam hæc ratione decimæ juris Ecclesiastici sunt. *Covar. lib. 1. Variar. c. 17. n. 2. Suar. Gutier. & alijs* Nullum enim præceptum extat in Lege Evangelica de decima parte solvenda. Nam quando Christus Dominus solvendas decimas ait apud *Matth. 23. v. 23.* loquebatur de decimis debitis in Lege veteri. Debetur ergo ex puro præcepto Ecclesiastico. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 12.* Et hanc conclusionem tenent *D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1. Abulens. in Matth. cap. 23. q. 149. Suar. de Decimis, cap. 9. n. 10. Soto de Just. & jur. lib. 9. q. 4. art. 1. Covar. Gutier. Solorz. Gonz. in c. 32. b. t. n. 4. & alij contra Gloss. in c. 1. b. t. in 6. Inno. & alios, qui absolute tenent de Jure Divino deberi. Audiamus *D. Thom. qui hoc optime explicat 2. 2. q. 87. art. 1. in corp. ibi: Sed determinata certa partis exhibenda Ministris Divini cultus, non est de Jure Naturali, sed est in-**

tre-

traducta institutione Divina, secundum conditionem illius populi, cui Lex daturus, qui cum in duodecim Tribus esset divisus, aude decimas Tribus, scilicet, Levitica, qua tota erat ministerijs Divinis mancipata, possessores non habebat, unde sustineretur. Unde convenienter institutum est, ut reliqua undecim Tribus decimam partem suorum proventuum Levitis darent, ut honorabilis viverent: & quia etiam aliqui per negligentiam erant transgressores futuri: Ita, etiam determinatio decimae partis solvenda est auctoritate Ecclesiae tempore nova Legis instituta, secundum quandam humanitatem: ut scilicet non minus populus nova Legis Ministris Novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris Legis Ministris veteris Testamenti exhibebat: sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex Jure Naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiae: qua tamen pensatis opportunitatibus temporum, & personarum, possit aliam partem determinare solvendam. Et quamvis Clerici habeant patrimonium, vel artificium, unde sustententur, adhuc illis decimae ex justitia solvendae sunt, tamquam merces laborantibus debita: quod si ex redditibus Ecclesiasticis congruam sustentationem Clerici haberent, eis Jure Naturali, & Divino non deberentur decimae, sed tantum Ecclesiastico, nisi hoc consuetudine abrogatum sit.

280 Decimae enim, aliae sunt reales, seu praediales, aliae personales. Reales, seu praediales sunt, quae praestantur ex fructibus praediorum, vinearum, pratorum, arborum, vel animalium, personales, quae proveniunt ex lucro, industria, vel artificio hominum acquisito, v. g. ex negotiatione, venatione, vel salarijs Militum, vel Magistratum. Et quidem de Jure Communi decimae solvuntur ex omnibus fructibus, & proventibus annuatim productis, vel hominum ministerio, vel beneficio naturae proventientibus. c. 5. e. 6. c. 21. b. t. l. 2. p. 1. Itaque decimae solvuntur de tritico, oleo, vino, feno, herbaggio, lignis, piscarijs, gregibus, lana: caseo, molendinis, apibus, saccharo, serico, & alijs hujusmodi, nisi aliud consuetudo legitima suadeat. In Indijs autem non solvuntur decimae ex piscarijs, nec aucupio, nec venatione. l. 18. tit. 16. lib. 1. R. Ind. Quod autem semel decimam solvit non debet rursus aliam decimam solvere: quod Hispanae decimae: R. d. c. mo. l. 7. tit. 5. lib. 1. R. C. l. 19. tit. 16. lib. 1. R. Ind. Qui aliquid illicite lucratus est, ita ut illud restituere debeat: v. g. si aliquid habeat furto, vel usuris adquisitum,

quatenus tali pecunia praedium emit, debet utique decimas praediales ex tali praedio, quod excolit solvere: nam est onus praedio affixum: non tamen debet decimas personales solvere ex sic qualitis: nam talia bona non sunt possessoris propria. Si vero res illicitè accepta licitè retineri valeat: v. g. acquisita ex homicidio, vel fornicatione, vel sententia injusta: tunc decimae debentur: ne sit melioris conditionis turpis, quam honestus lucrator. Sed ne videatur, Ecclesiam tale factum approbare, non solet ex tali re acceptare decimas. l. 12. tit. 20. cap. 1. D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 2. ad 2.

281 Omnes, & soli fideles baptizati, etiam Reges, & Principes, qui ab aliquo Parocho Sacramenta percipiunt, per se tenentur debito personali decimasolvere: nisi aliqua ratione eximantur. c. 23. c. 24. b. t. l. 2. tit. 20. p. 1. potestque accidere, quod Parochi, Episcopi, imò & Pontifex decimas solvere teneantur: quia possideant bona hac obligatione, & onere gravata, cum quo ad quemcumque transfusi possessorum. Et nostri Potentissimi Reges in hac obligatione teneri fateantur, tam pro rebus, quas in Hispania. l. 2. tit. 5. lib. 1. R. C. quam in Indijs habent. l. 16. tit. 16. lib. 1. R. Ind. Etiam Haeretici, cum Ecclesiae subiecti sint, & aliunde Parochi sint parati eis Sacramenta administrare, decimas personales solvere tenentur: Judaei tamen, & alij infideles, cum Ecclesiae non sint subiecti, decimas personales non debent: tenentur tamen decimas reales praediorum, quae in aliqua Parochia habent, solvere. c. 16. b. t. l. 2. tit. 20. p. 1. cum sit onus praedij affixum. Reali ergo obligatione decimas reales solvere tenentur quicumque intra fines alicujus Parochiae possident praedia, fundos, vel alias res frugiferas titulo non spirituali. c. 4. c. 6. c. 8. e. 20. b. t. nisi aliqua ratione sint immunes. Vendens ergo praedium, quod obligatione decimarum gravatum est, tenetur debitas decimas solvere: emptor autem solum ex tempore, quo illud emit. Arg. c. 33. b. t. Item, si ad Dominum fundi conducti perveniant omnes fructus fundi pro certa pensione fructuaria, vel pecuniaria praestita Colono, ipse Dominus solvet omnes decimas: idem dicendum est de Colono, si ad ipsum omnes fructus perveniant certa pensione Domino reservata. c. 24. e. 26. b. t. l. 6. tit. 20. p. 1. Clerici quidem non tenentur decimas solvere de bonis, quae titulo spirituali beneficij, vel ministerij spiritualis percipiunt: sicut nec Levitae veteris Legis decimas solvebant: eas ta-

men solvere tenentur de bonis patrimonialibus, & similibus. c. 2. b. t. l. 2. tit. 20. p. 1. l. 2. tit. 5. lib. 1. R. C. ubi dicitur, quod Episcopi, & alij Clerici tenentur de bonis patrimonialibus decimas solvere: quin, etiam & Religiosi, eorumque Monasteria de Jure Communi decimas solvere tenentur. c. 3. c. 4. c. 10. b. t. e. 2. eod. in 6. l. 2. tit. 20. p. 1. Quae quidem solvendae sunt Parocho in cujus Parochia sita sunt eorum praedia: non tamen tenentur Religiosi decimas solvere de praedij, & terris ante Lateranensem Concilium adquisitis, si ea proprijs sumptibus, & manibus, excolant, prout habetur in c. 34. b. t. l. 4. tit. 20. p. 1. à pauperibus quidem ferè numquam exiguntur decimae: ipsi tamen, si non integrè, solvant, quod possint. l. 25. tit. 20. p. 1. Indi Limentes ex fructibus, qui vocantur de Castilla unum ex decem, ex his autem qui vocantur de la tierra unum ex viginti solvunt. Principales, qui dicuntur Caciques, & alij, qui tributa non solvunt, decimas profecto solvere tenentur. Commandatarij Indorum debent decimas solvere de speciebus, quas pro tributis Indorum accipiunt. l. 12. tit. 16. lib. 1. R. Ind. in his Insulis Indi non solvunt decimas, nisi in modica quantitate, simul cum tributo, quod certè satis leve est. Alij Indi à solutione decimarum exempti sunt. Allez. in Sum. V. Ind. sect. 4. & hac varietas in varijs inducta Provincijs absque novitate servari debet. l. 13. tit. 16. lib. 1. R. Ind.

282 Obligatio decimas persolvendi non est adeò inviolabilis, ut nullus ab ea excusari valeat: possunt equidem plures ab hoc onere eximi. Et 1. per privilegium, quod quidem concedere potest, non quidem Princeps Sæcularis, cum hujusmodi causa spiritualis, & fori Ecclesiastici sit. c. 25. b. t. illud autem concedere valet Romanus Pontifex, & quidem solus, cum de Jure Communi debita sint, in quo solus Romanus Pontifex dispensare potest: quia ipse solus est supra Jus Commune Ecclesiasticum, ut illius Legislator Supremus. c. 4. de Conces. prob. Sic à varijs Pontificibus variae Religiones ab obligatione decimas solvendi fuerunt exemptae, quinimò, & Laici possunt à decimarum solutione ex privilegio Pontificio eximi. l. 23. tit. 20. p. 1. Sed quia hodie ob continuum clamorem Episcoporum, & Capitulum Cathedralium multum variatum est circa privilegia non solvendi decimas, debet in hoc accuratè

attendi, quid privilegio, vel consuetudine, vel parium compositione struetur. Et cum hujusmodi privilegium sit in praedictum tertij, & contra Jus Commune strictè interpretationis est: nec debet extendi nisi ad ea, quae in sensu communi verborum comprehenduntur: minimè verò ultra verborum proprietatem. Hinc est, quod privilegium decimarum ad decimas novalium extendatur. c. 12. b. t. & praediorum, quae post privilegium adquiruntur. c. 22. de Privileg. cum talia praedia in significatione propria comprehendant etiam novalia, & de novo adquisita. Si verò tale privilegium esset valde damnosum Ecclesiae: quia Ministri congrua carerent sustentatione ab Episcopo, quoad excessum corrigi possit, ita ut Ministris congrua relinquatur sustentatio. c. 2. §. Ubi autem, b. t. in 6. imò si in grave damnus personarum, quibus decimae essent solvendae, privilegium cedat, hoc amittitur, quasi sub hac conditione concessum. c. 9. b. t. item privilegium non solvendi decimas per compositionem partium limitatur, vel tollitur. c. c. c. 9. c. 34. b. t. Item amittitur renuntiatione, eo videlicet, non utendo triginta annis: hoc est decimas solvendo, c. 6. de Privileg. vel etiam per non usum, per modum praescriptionis. Et tunc contra Ecclesiam praescribitur quadraginta annis. c. 15. de Privileg. 2. potest quis, etiam Laicus à decimis solvendis omninò liberari per consuetudinem contrariam, si aliunde Ministri congruam habeant sustentationem: secus, si ea careant, nec habeant unde alantur: quippe decimae sunt Juris Naturalis, quatenus ad congruam Ministrorum sustentationem sunt necessariae. Et sic defectu per consuetudinem ferè omninò sublatae sunt decimae personales, & in pluribus locis diminutae sunt decimae reales: quin ex hoc alijs decimas persolvendis aliqua irrogatur injuria. Nam nullus ultra decimam obligatur, etsi alij excusentur. Si haec consuetudo sit inducta per modum conventientiae, tolerante scilicet Romano Pontifice, vel alijs, quorum interest, sufficienti tot actus contrarij, & tempus, ut praesumatur notitia, & consensus eorum, quorum interest. Si per modum praescriptionis inducatur, quadraginta annis haec immunitas adversus Ecclesiam praescribitur. c. 4. c. 6. de Praescriptione.

283 Potest immunitas à solutione decimarum praescribi à Communitatibus, & personis particularibus, etiam à Laicis: nam

nam licet jus percipiendi decimas nequeat à Laicis possideri: quia est jus spirituale: sed immunitas, seu exemptio, quae nihil spirituale continet: sed tantum commoditatem temporalem, sive libertatem ab onere decimarum, quae sua natura fundo adhæret. Et quidem si contra privatum hæc immunitas præscribatur, decem annis inter præsentem, & viginti inter absentes talis præscriptio completur. Si adversus Ecclesiam, non Parochialem quadraginta annis, etiam sine titulo. *c. 4. de Præscriptione.* Si adversus Parochum, vel Ecclesiam Parochialem, quæ in iure habet fundatam intentionem, præscribitur immunitas quadraginta annis cum titulo, vel tempore immemoriali sine eo. *c. 1. de Præscriptione, in 6.* Sed etiam post consuetudinem non solvendi decimas, & præscriptionem immunitatis completam adhuc potest Pontifex, ut Supremus Legislator, secus Prælatum inferior, de novo imponere decimas solvendi obligationem. 4. Transactione, & amicabile compositione partium possunt remitti decimæ præterita: futura verò ad tempus triennio longius non possunt remitti sine Episcopi auctoritate juxta *Extrav. Ambitiosa, de Rebus Eccl. int. com.* ut tamen transactio ultra transigentis vitam, vel in perpetuum valeat, est necessaria auctoritas Apostolica. *c. 8. de Transactione.* Olim autem antequam Parochiæ essent divisæ, decimæ colligebantur ab Episcopo, & in Clericos Diocesis pro meritis distribuebantur. *c. 1. c. 3. 16. q. 7. post Parochiarum tamen divisionem, Parochi habent intentionem fundatam pro decimis, etiam contra Episcopum, cui proinde incumbit probare, ad ipsam integras decimas pertinere, vel privilegio Pontificis, vel præscriptione, vel alio modo. c. 13. c. 29. h. t. l. 7. tit. 20. p. 1.* Ex decimis tamen Parocho solutis deducitur quarta pars Episcopo, ubi non datur contraria consuetudo. *c. 16. de Offic. Ordin. c. 13. h. t. sicut in Lege veteri Leviticæ ex decimis perceptis à populo decimam Sacerdotibus solvebant. 2. Esdr. 70. v. 38.* Decimæ personales, ubi adhuc est consuetudo eas solvendi, debentur Parocho, à quo quis ex obligatione percipit Sacramenta, aliaque spiritualia. *c. 20. h. t. l. 11. tit. 20. p. 1.* ubi additur. *Acoftumbraron los Reyes de España de luego tiempo acá de dar estos diezmos à sus Capellanes, por que dellos oyen las horas, è resciben los Sacramentos, mas que de otros Clerigos, prædiales verò solvuntur illi Parochiæ, intra cujus fines sita sunt prædia,*

etiam si Dominus alibi habitet. *c. 18. c. 20. c. 29. h. t. l. 8. tit. 20. p. 1.* ibi: *Emaguer los omes ayan heredades à muchas partes, cada uno dellos es tenudo de dar el diezmo en aquella Eglefia; en cuyo termino ha la heredad.* ubique tamen consuetudo legitime introducta circa decimationem servari debet. *L. 8. tit. 20. p. 1.*

284. Decimæ animalium debentur illi Parochiæ, in cujus territorio pecora pascant. *L. 9. tit. 20. p. 1. l. 7. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Si in duarum Parochiarum territorio pascant, dividuntur decimæ. *D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 3. ad 2.* Si de die in uno Episcopatu pascant, & nocte in alio dormiant, decimæ etiam dividuntur. Ex partu pecorum in transitu non debetur decima illi Ecclesiæ, ubi pecora pariunt, nisi ibidem saltem per mensem manserint: quæ omnia intelliguntur cessante fraude parturum. *L. 9. tit. 20. p. 1.* Præterea decimæ prædiales integræ sunt solvenda, non deductis semine, censu, vel sumptibus: nam ex fructibus terræ debent ejusmodi decimæ solvi: & fructus consideratur quidquid terra producit. *c. 7. c. 21. c. 22. c. 26. h. t. l. 13. l. 14. tit. 20. p. 1.* Et sanè statim ac fructus percepti sunt, decimæ debent solvi. *c. 7. h. t. l. 17. tit. 20. p. 1.* ac proinde dies interpellat pro homine, consequenterque decimas debens, pariter casum fortuitum, si fuit in mora solvendi. Si vero Parochus fuit in mora eas colligendi, ipse casum patietur: in quo debet attendi locorum consuetudo. *L. 17. tit. 20. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* In decimis verò personalibus expressæ deducuntur. *c. 28. h. t.* Siquidem debentur ex lucro, quod tantum consideratur id, quod deductis expensis, remanet: nam principale jam decimas solverat. *L. 15. tit. 20. p. 1.* Deinde prædictæ decimæ solvuntur sub finem anni, ut alia tributa, si aliud non habeat consuetudo. *L. 17. tit. 20. p. 1. & ibid. Greg. Lop.* Episcopi, & Parochi non tenentur decimas personalesolvere: imò decimæ personales ubique ferè in defectu dinem abicrunt, ut notat *Greg. Lop. in l. 1. tit. 20. p. 1. V. Personal.* Et in nostra Hispania varijs pragmaticis est justum, ne aliqua intentetur novitas circa petitionem talium decimarum, ubi viget consuetudo eas non solvendi: ac propterea erit abrogata. *L. 17. tit. 20. p. 1.* ubi videtur contrarium decimam. Alièr tamen responderet *Greg. Lop. ibid.* quin & in *L. 20. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* dicitur, quod in Indijs non debentur decimæ personales, quia in Diocesi Hispanensi non solvuntur. Decimæ

ergo solvenda sunt ubi res fructifera sita est, sicut illustrius: nec solvens tenetur suis expensis in domum Parochi eas deferre: imò si ob eius moram, postquam monitus est, aliquod detrimentum fructus patiantur, hoc sæpe negligentia Parochi debet imputari, & sic pro Indijs statutum est. *In l. 10. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* In nostra Hispania decretum est, quod decimæ solvantur, & recipiantur tempore, & loco solitis. *L. 4. tit. 5. lib. 1. R. C.* Decimæ quidem licet non sint necessario solvenda de melioribus fructibus, non tamen sunt de deterioribus, sed saltem de mediocribus solvenda. *Leo. c. fin. v. 37. c. 4. c. 5. 16. q. 7. l. 18. tit. 20. p. 1.* ubi additur, quod potest partus pecorum ita decimari, ut agnis in ovili inclusis, qui decimus exierit pro decima solvatur: In ordine quidem ad decimas *Novale* dicitur *ager de novo ad culturam redactus, de quo membra non extat, quod cultus fuerit aliquando. c. 21. de V. S. l. 4. tit. 20. p. 1.* decimæ autem *Novalium* pertinent ad Parochiam, intra cujus fines sunt *Novalia. c. 13. h. t.* quod si intra nullius Parochiæ terminos sint, eorum decimæ pertinent ad Episcopum: qui alteri Ecclesiæ, vel suis utilibus eas applicare valet. *c. 13. h. t.* Si aliquis privilegium habeat, ut de *Novalibus* suis nullas decimas solvat, semper in illis prædijs, quæ semel fuerunt *Novalia* conservat privilegium. *c. fin. de Privilegio.* Privilegium quidem concessum absolute alicui de non solvendo decimas ex suis prædijs extenditur ad *Novalia* exculsa post privilegium, cum hujusmodi *Novalia* verè, & proprie nomine prædiorum comprehendantur. *c. 10. c. 12. c. 27. h. t.* fecus est de privilegio affirmativo concessio Religiosis, vel Laicis, vel alijs personis Ecclesiasticis, ut possint percipere decimas ex prædijs de jure ad Parochiam pertinentibus: quod quidem non extenditur ad decimas *Novalium*, quæ intra terminos talis Parochiæ post privilegij concessionem excoluntur: nisi talium decimarum expressa mentio fiat in privilegio. *c. 2. h. t. in 6.* quod ita est ob majorem universalitatem, quam habet negatio præ affirmatione, & præcipue ob majus Ecclesiæ Parochialis præjudicium. Privilegium Apostolicum, quod plerisque conceditur, ut *Novalium* decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres eas contingunt, ad illas *Novalium* decimas, quas tempore illo, quo impetratum, vel obtentum extitit hoc indultum, alij possidebant, cum de hoc in ipso nulla

mentio fiat, nullatenus se extendit, nec ad alias nisi in his tantum locis, ubi veteres tunc, quando dictum indultum impetratum fuit habebant, & pro ea solam portione, qua ipsi tempore impetrationis hujusmodi percipiebant antiquas. Et tale privilegium casu, quo decimæ antiquæ ab aliquo percipiuntur, concessum ad percipiendas decimas *Novalium*, non extenditur ultra medietatem decimarum, quamvis integrè percipiatur decimas antiquas, ne magnum inferatur præjudicium alijs Ecclesijs, quibus de jure decimæ debentur. *c. 2. h. t. in 6. Barbos. in c. 27. h. t.*

285. Parochus, si ipsi decimæ non solvantur, eas petit: si agat petitorio super jure decimandi, ad quem, scilicet, pertineat, coram Judice Ecclesiastico, cum ad ipsum privatè spectet de causis spiritualibus, & spiritualibus annexis cognoscere. *c. 2. c. 3. de Judic.* Et talis est causa de jure decimandi. *c. 15. c. 25. h. t.* quod si lis moveatur contra Laicum (secus contra Clericum) super possessore decimarum, ita ut nulla miscetur juris causa, poterit ejusmodi lis agitari, coram Judice Ecclesiastico, vel Seculari tunc enim est mixti fori, cum de solo facto cognoscendum sit: sicut Judex Laicus potest adiri, ut comittat juramentum, juramentum adimplere. Ex privilegio tamen Apostolico poterit Laicus etiam de jure decimarum cognoscere. Debens quidem, & non solvens decimas certe peccatum grave committit, si gravis est materia. *c. 17. h. t.* peccat enim contra virtutem Religionis, & justitiæ, cum decimæ debeantur, tum ex religione in recognitionem Divini dominij, tum ex justitia, cum ex eis Ministri Ecclesiæ alantur, quibus, ut operarijs ejusdem merceres debetur. Hinc non solventes decimas excommunicari possunt. *c. 5. c. 21. h. t. Frid. sess. 25. de Ref. cap. 12.* Sepultura Ecclesiastica privantur. *c. 19. h. t.* Et in *Ch. 1. eod.* imponitur suspensio à beneficijs, vel excommunicatio Religiosis, qui decimas, quas debent,olvere nolunt, vel aliosolvere impediunt.

286. Jus decimas percipiendi varijs modis acquiritur. 1. per collationem beneficij curati, cui jus decimandi annexum est. 2. per privilegium Romani Pontificis, qui ex suprema potestate, qua in jure Ecclesiastico gaudet, etiam Laicis jus decimandi concedere valet. *c. 24. h. t. l. 23. tit. 20. p. 1.* ibi: *E am pudesdes otorgar, que tomen diezmo de algunas Eglefias por*

Tempor. scilicet, d' por sempre, segun lo tovier, por bien. In nostra Hispania habent nostri Reges jus quoddam in decimis Ecclesiasticis ex concessione Summorum Pontificum, quod *Hispanè: Tercias* dicimus. In quibus adeo fundatam intentionem habent contra Prælatos, ut his incumbat probare, se habere titulum, vel prescriptionem immemorabilem ad *tercias*: aliter Regi solvantur. *L. 1. tit. 21. lib. 1. R. C.* In Indijs autem habuerunt nostri Reges ex concessione Apostolica omnes decimas integras. *L. 1. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* sed postea eas Ecclesijs cessant, sibi tantum *tercias*, seu duas nonas partes reservando. Hæ liquidem *tercias* sic deducuntur. Omnes enim decimæ rediguntur ad unum cumulum: hic cumulus in quatuor dividitur partes: prima Episcopo defertur, 2. Capitulo. Cumulus restans rursus dividitur in novem partes: duæ cedunt Regi, & hæ dicuntur, *Hispanè: Tercias, y Novenos.* Ex septem restantibus tres applicantur fabricæ Cathedralis, & Hospitalibus, aliæ quatuor Parochis dantur. *L. 23. tit. 16. lib. 1. R. Ind. Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 4. f. 521.* Decimas verò auri, argenti, gemmarum, & aliorum Mineralium integras sibi nostri Reges reservant. *L. 14. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Cum ergo ex concessione Pontificia decimæ fuisent nostris Regibus concessæ, Regi ipsæ, & Sæculares factæ sunt, & inter Regalia computatæ, ac proinde hac qualitate censentur affectæ, etiam si iterum Ecclesijs sint concessæ: liquident, ut Regiæ donationes considerantur. Et ideo ipsi Reges, ejusque Senatores de his causis cognoscunt inter quascumque personas lis moveatur circa decimas. Et licet plures Doctores adhuc reclamant, teneantque judicium decimarum ad Ecclesiam spectare, tamen contrarium saltem in praxi obtinuit. *Solorz. de Jur. Ind. tom. 2. lib. 3. cap. 1. Et Polit. Ind. lib. 4. cap. 1. fol. 502.* 3. per prescriptionem acquiritur jus decimandi. Et quidem si sit contra Ecclesiam non privilegiatam, etiam si præscribat Parochia, quadraginta annis indiget. *c. 4. c. 6. de Prescription.* sed cum Parochia jus assit, non quidem indiget titulo: secus est, si alia Ecclesia, cui jus non assit præscribat. Si contra Ecclesiam Romanam præscribat, centum anni necessarij sunt. Contra personas privatas decem annis inter præsentem, & viginti inter abentes cum titulo, & triginta annis sine titulo decimæ præscribuntur; *arg. L. 4. c. sio. c. de Long. tempor. præscript.* Qui jus de-

ci mandum in aliqua Parochia præscribit, non censetur novallum decimas præscripsisse. *c. 29. h. t. nisi ostendat, eas ad se ex justa causa pertinere.* Laici autem non possunt jus decimandi ad verus Ecclesiam, nequidem tempore immemorabile, præscribere, cum sint incapaces tale jus, quod quidem spirituale est, sine privilegio Apostolico possidendi. *c. 7. de Prescription. L. 22. tit. 20. p. 1.* Si verò jus decimandi ex privilegio Apostolico perpetuo, & irrevocabiliter alicui Laico concessum sit, cum jam à titulo spirituali sit separatum, & inter bona Laici computatur, potest adversus illum Laicum ab alio Laico tale jus præscribi. 4. Laicus, qui juxta titulo decimas possidet, potest cuilibet loco Religioso illud jus donare, etiam sine consensu Episcopi. *L. 24. tit. 20. p. 1. Imò & alij Laico saltem ex consuetudine. Greg. Lop. in l. 22. tit. 20. p. 1.* Si tamen injuste possideat, non potest donare, sed tale jus ab eo debet auferri, & restitui Ecclesiæ, cui debetur. *c. 7. de His, quæ sunt à Prælat.* quod si Laicus non possit ad hoc induci, tunc potest alteri Ecclesiæ, vel loco Religioso de consensu Episcopi donare. 5. jus decimandi ex justa causa, & adhibitis solemnitatibus ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitis, potest vendi, non quidem Laicis, sed Ecclesiæ. Sed tale jus debet esse separatum à titulo spirituali: alias committitur simonia. *c. 1. 16. q. 7. c. 15. c. 17. c. 19. h. t.* 6. Hoc jus acquiritur permutatione detimarum unius Ecclesiæ cum alterius Ecclesiæ decimis. *c. 6. de Rerum permutation.* Et quidem cum debitis facta solemnitatibus. *c. 5. de Rebus Eccles.* 7. transacione, & amicabile compositione. *c. 2. c. 8. de Transacion.* de decimis autem præteritis, cum tantum fructus temporales sint, potest fieri transactio, etiam cum Laicis, & sine Episcopi consensu. Si de futuris transactio faciendæ sit, cum sint Clericorum alimenta, debet fieri cum causæ cognitione, & insuper adesse debet Episcopi licentia. Si cum Clericis sit transactio: vel Pontificis consensus, si cum Laicis fiat; *arg. L. 8. ff. de Transacion.* 8. Decimæ de consensu Pontificis Laicis possunt infundari. In feudatario verò aliter facta est ipso jure irrita. *c. 1. 16. q. 7. c. 17. c. 19. h. t.* De quibus latè agit in *tot. tit. 20. p. 1.* alijque nostri Juris locis.

287 *Primitia*, de quibus agit in secunda Rubricæ parte, sunt primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, primogenita animalium, & alia hujusmodi. *Exod. 23.*

v. 19. Num. 18. v. 13. *L. 1. tit. 19. p. 1.* Deo enim hæ primitiæ solvantur in gratiarum actionem pro primis fructibus. Et in Lege veteri Divinum præceptum de eis solvendis extabat. *Exod. 23. Num. 18. Deuter. 18.* Sed hoc præceptum, ut cætera Legis veteris, morte Christi Domini expiravit. Legge tamen Ecclesiastica fuscitatum fuit. *c. 6. D. 32. c. 65. 16. q. 1. c. 1. 16. q. 7. c. 1. b. t. L. 2. tit. 19. p. 1.* ubi dicitur, quod non solum de fructibus, & animalibus primitias Deo dare debemus, sed etiam de diebus, quibus vivimus, & hac de causa jejunamus in quatuor anni temporibus. Et licet in Lege veteri non constaret quantum nomine primitiarum daretur, tamen juxta *D. Hieronym.* de quadraginta quidam, alij de sexaginta, unum solvebant: & ideo fuit antiquitus institutum, ut plus petentes non audirentur. *c. 1. h. t. L. 3. tit. 19. p. 1.* Primitiæ in Indijs debent solvi eodem modo, ac in Hispaniæ Diocesi. *L. 21. tit. 16. lib. 1. R. Ind.* Sed jam ferè generali consuetudine primitiæ sunt abrogatæ, ut notat *Machad. in Sum. lib. 2. p. 4. tr. 10.* Aliquando tamen ex devotione fidelium solvuntur: & tunc debent exhiberi Parocho illius Ecclesiæ, intra cujus fines sita sint prædia, quæ tales produxerunt fructus, cum hoc onus reale sit ipsis prædijs assuum. *c. 21. 16. q. 1. L. 5. tit. 19. p. 1.*

288 Jam ad Oblationes, de quibus in tertia parte Rubricæ agit, accedamus. Oblationes liquidem in genere etiam decimas, & primitias comprehendunt, tamen prout ab eis distinctæ, ut in præsentibus sumuntur, sunt illa dona, quæ à fidelibus ad altare Deo, & sanctis offeruntur Religionis intuitu. Oblationes enim sua natura spontaneæ sunt: juxta illud *Exod. 25. v. 2. Ab omni homine, qui offeret ultroque, accipietis eas.* *c. 69. de Conf. D. 1. L. 8. tit. 19. p. 1.* Hinc est, quod nullo jure fideles eas facere obligentur, nisi forte verò, vel promissione se obligassent; vel si Ministri aliunde non haberent congruam sustentationem: vel si populi consuetudine, vel prescriptione Parochorum hæc obligatio sit imposita. Et in his casibus sunt intelligendi. *Text. in c. 55. 16. q. 1. L. 7. l. 9. tit. 19. p. 1. & alij*, ubi de præcepto esse videntur. *D. Thom. 2. 2. q. 86. art. 1. in corp. Gonz. in c. 13. de V. S. n. 2.* & hæc ratione Pontifex in *c. 43. de Simon.* præcipit servare pias, & laudabiles consuetudines: at verò generaliter non debentur tales oblationes in Lege Gratia: licet in Lege Veteri deberentur: juxta illud *Exod.*

23. v. 15. *Non apparebit in conspectu meo vultus.* Et licet hæc verba referantur in *c. 69. de Conf. D. 1.* non afferuntur, ut præceptum, sed per modum consilij: *Gonz. in c. 13. de V. S. n. 2.* Offerre equidem munera ad altare possunt omnes fideles baptizati, si non sunt excommunicati, nec separati ab Ecclesia, nec Hæretici: quia talis oblatio, ejusque acceptatio est quædam communicatio. Ecclesiastica, quæ excommunicatis prohibetur. Sicque Ecclesia ad vitandum scandalum non recipit oblationes à manifestis usurariis, à raptoribus, à pauperum oppressoribus, à sacrilegis, à meretricibus publicis, à rebaptizatis, vel qui suos infantes rebaptizari curant, nec ab eis, qui per extractionem reorum ex Sacrosancto immunitatem Ecclesiæ violant. Nec ab alijs hujusmodi: nec item ex rebus, quæ injuste sunt acquisitæ, vel alij ex obligatione, vel ex charitate, vel ex pietate debentur: nec Ecclesia cum talibus hominibus communicare videatur, vel res male acquisitas, vel alij debitas accipere. *L. fin. tit. 19. p. 1. ubi Gregor. Lop.* assert textus Canonicos concordantes. Oblationes quidem factæ in Ecclesia Parochiali alicui Capellæ illius, vel altari, vel in Oratorio: vel Capellæ intra fines illius Parochiæ sita, vel ad imaginem in pariete pictam, etiam aliquis domus private, vel etiam factæ Sacerdoti in tali Parochia celebranti, ad Parochum pertinent. *L. 6. tit. 19. part. 1. & ibid. Gregor. Lop.* nisi aliud de offerentiis constet voluntate (quæ omnino servanda est) vel etiam ex consuetudine. Sic non ad Parochum, sed ad Sacerdotem, novam Missam celebrantem, pertinent ea, quæ in nova Missa offeruntur. Et quæ alicui Imagini, Altari, vel Sacello, etiam domus private, offeruntur, ibi sunt relinquenda, si voluntas offerentis creditur esse, quod in ejus honorem, & cultum insistantur. Oblationes, quæ in Ecclesijs Regularium sunt, non Parocho, sed Monasterio, ex privilegio, acquiritur. Laici tamen sunt incapaces, nisi ex Privilegio Pontificio, juris oblationes percipiendi, utpote spiritualis. *c. 17. h. t.* Denique oblationes sunt convertendæ in usum ab offerentibus designatos. *Cl. 2. de Religios. domib.* quod si nullus est designatus in cultum Ecclesiæ, ornamenta, & fabricam: vel si eis Ecclesiæ non indigeat, converti debent in bonum publicum, & commune ipsius Ecclesiæ: quæ quidem conversio non solum autoritate Pontificis, *Cl. 2. de Religios. domib.* sed etiam Episcopi

pi fieri potest. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 6.* non solum auctoritate Magistratus Sæcularis, quæ ad res spirituales, finem supernaturalium respicientes, non extenditur. *c. 7. t. 10. de Constitution.*

TIT. XXXI.

De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

289 **D** Hieronymus in C. Duo sunt, tianorum in duas partes divisit. In Clericos, scilicet, & Laicos, nomine generali Clericorum, Religiosos comprehendens, prout hi à Laicis, id est, Sæcularibus contradistinguantur. Idem fecit Rex noster Alfonso in princip. tit. 7. p. 1. ibi: *Et estos a tales son llamados Religiosos, por que cada uno de ellos han reglas cierta, por que han de vivir, segun el ordenamiento que ovieren de Santa Eglefia en el comienzo de su Religion, è por onde son contados en la Orden de la Clerecia.* Et in l. 1. ejusd. tit. dicit, quod appellantur Religiosi, quasi religati: quia se ipsos obedientie voto ligant. In præcænti ergo Religio sumitur pro statu Religioso, hoc est, pro quodam stabili vivendi modo in communi, quo fideles votis emissis paupertatis, castitatis, & obedientie ad Chriſtianam tendunt perfectionem, juxta statuta approbata ab Ecclesia. Aliquando etiam in latiori significatione Religio significat omnium fœderum Congregationem. Aliquando presertim sumitur pro virtute, qua cultus Deo debitus exhibetur. In Jure verò Civili Religiosum dicimus locum, in quo aliquis homo sepelitur. §. 9. *Instit. de Rerum divors. Regulares* appellantur Religiosi, quia juxta regulas vivunt. Ad Religionis essentiam varia requiruntur. 1. Observatio trium Consiliorum Evangelij, castitatis videlicet, paupertatis, & obedientie. *c. 6. in fin. de Stat. Monach. c. 22. h. t. l. 2. tit. 7. p. 1.* nam in his consistit perfectio juxta illud Christi Dominici apud Matth. 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, &c.* ad perfectionem igitur atque ad eam debent Religiosi ex loco statu aspirare: & licet sit necessarium, quod quælibet Religio tribus, prædictis coniter votis, tamen plures sunt Religionis, quæ quartum votum peculiariter insuper addunt, ut Mercenarij, Mimici, & nostræ Societatis Profesi. Præter dictos Religiosos, votis Religionis ligatos, solent admitti tam in Monasterijs virorum, quam femi-

narum quidam Fratres, qui habitum Religionis cum aliqua levi immutatione induunt, sed nulla emittunt vota, & nuncupantur oblati, seu commissi. Hispanè, dicimus: *Donados.* Hi enim Religiosi non sunt, cum nullis votis adstringantur, habentur tamen pro personis Ecclesiasticis, quoad privilegium Canonis. *Machad. in Sum. lib. 5. p. 4. tr. 3. Ponce de Matrim. lib. 9. cap. 8. n. fin. Conversi tamen, Hispanè: Legos,* verè Religiosi sunt, cum verè vota emittant. Sed quia hæc nomina conversorum, & oblatorum non eodem modo in omnibus Religionibus accipiuntur, de ipsis juxta cujusque vocabularium philologandam erit. *Vid. Caramuel in Theolog. Regul. Ponce, & alios. 2. Ad Religionem* est necessarium, quod observatio talium Consiliorum perpetua voti obligatione firmetur. *l. 2. tit. 7. p. 1. D. l. bono. 2. 2. q. 186. art. 6.* quia status dicit perpetuitatem, & regulariter ex parte utriusque, tam scilicet Religionis, quam voventis, arg. *c. fin. h. t. l. 3. tit. 7. p. 1.* vel saltem ex parte voventis, licet Religio non habeat absolutam obligationem Religiosum perpetuo retinendi: ac proinde vota solemnia non sunt de essentia Religionis, ut patet in emittentibus vota in nostra Societate post biennium, qui verè Religiosi sunt, quin vota emittant solemnia, & quæ obligatio sit mutua: quia licet ipsi non possint deserere Religionem, tamen à Religionem possunt utique dimitti, justa causa hoc suadente: ut declaratum est à Julio III. Gregor. XIV. & afferunt latius Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 14. n. 12. Sanchez in Decal. lib. 5. cap. 1. n. 26. & alij.* Nec ipsis fit in hac dimissione injuria, cum ab ipsis hoc pactum in ingressu acceptetur, & contractus à voluntate contrahentium Legem accipiant. *l. 23. ff. de Regul. jur. & scienti, & consentienti non fit injuria, neque dolus. c. 27. de Reg. jur. in 6. Gonz. in c. 9. h. t. n. 6.* ubi notat, quod olim non statim ac vota emittentibus in Religionibus antiquis, oriebatur mutua obligatio ex parte utriusque, sed alia, & alia probationes, sicut in nostra Societate, fiebant. 3. Requiritur, quod hæc vota emittantur in aliqua Religione, necessario, ut tali approbata. *l. 2. tit. 7. p. 1.* nec sufficit, quod modus vivendi approbetur, ut pius. Et quidem antè Concilium Lateranense Episcopi auctoritas ad Religionem approbandas sufficiebat. *c. 10. e. 16. 18. q. 2.* & sic approbata fuerunt Religiones Ss. Basilij, Augustini, & Benedicti, ut probat Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 11. n. 4. sed poi-

postea ob gravitatem materia Summo Pontifici est reservata Religionum approbatio. *c. fin. de Religios. domib. c. un. eod. in 6. 4.* Requiritur ad Religionem, quod talis Religiosus sub alicujus superioris Ecclesiastici jurisdictione constitutatur, qui quidem per se, vel per alium talia vota acceptet, possitque talem Religiosum ad regulam, & disciplinam regularem observandam cogere, & potestatem clavium in ipsum exercere. *c. 13. h. t. l. 2. tit. 7. p. 1.* Nec tamen ex natura status Religiosi requiritur vita communis: nam antiquitus Religiosi erant Anachoretæ, & etiam aliquæ virgines, & viduæ Religionis statum profitebantur, quin vitam agerent communem. Hæc namque non est necessaria ad vitam perfectionem, quæ quidem in observatione votorum consistit. Nec item requiritur ad statum constituendum, qui factus consistit in vita stabilitate firmata per votorum emissionem. Hodie tamen omnes Religionem vitam communem profitentur. *l. 1. tit. 7. p. 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 4.*

290 Audiamus Divum Thomam optime, pro suo more, hæc declarantem. *2. 2. q. 186. art. 7. in corp. Religionis status* consideratur secundum, quod est quoddam holocaustum, per quod aliquis totaliter se, & sua offert Deo, & secundum hoc ex his tribus votis integratur Religionis status. Primo enim quantum ad exitium perfectionis requiritur, quod aliquis à se removeat illa, per quæ possit impediri, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum, in quo consistit perfectio charitatis. Hujusmodi autem sunt tria. 1. quidem cupiditas exteriorum bonorum, quæ tollitur per votum paupertatis. Secundum autem est concupiscentia sensibilibus delectationum, inter quas præcelsunt delectationes venere, quæ excluduntur per votum continentie. Tertium autem est inordinatio voluntatis humane, quæ excluditur per votum obedientie. Similiter autem sollicitudinis Sæcularis iniquitudo præcipue ingeritur homini circa tria. 1. quidem circa dispensationem exteriorum rerum: & hæc sollicitudo per votum paupertatis homini aufertur. 2. circa gubernationem uxoris, & filiorum: quæ amputatur per votum continentie. 3. circa dispositionem propriorum actuum: quæ amputatur per votum obedientie, quo aliquis se alterius dispositioni committit. Similiter, & holocaustum est cum aliquis bonum, quod habet, offert Deo, ut Greg. dicit super Ezechiel: *habet autem homo triplex bonum, secundum Philosoph. 1. Ethic. Primo quidem exteriorum rerum,*

quas quidem totaliter aliquis Deo offert per votum voluntaria paupertatis. Secundum autem bonum proprii corporis, quod aliquis præcipue offert Deo per votum continentie, quo abrenuntiat maximis delectationibus corporis. Tertium autem bonum est anima, quod aliquis totaliter Deo offert, per obedientiam, quæ aliquis offert Deo propriam voluntatem, per quam homo utitur omnibus potentijs, & habitibus animæ: & ideo convenienter ex tribus votis status Religionis integratur. Et *2. 2. q. 186. art. 6. in corp. ait: Dicendum; quod ad Religiosum pertinet, quod sint in statu perfectionis: ad statum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea; quæ sunt perfectionis 3. quæ quidem Deo fit per votum: manifestum est autem, quod ad perfectionem Christianæ vite pertinet paupertas, continentia, & obedientia: & ideo Religionis status requirit, ut ad hæc tria aliquis voto obligetur.*

291 Satus quidem religiosus, quoad substantiam, & tria consilia Evangelica, institutus est à Christo Domino in Lege Gratiæ, atque ita potest dici, esse de Jure Divino: non quidem præcipientem, sed tantum consulente. Nam 1. votum Obedientie ab ipso consultum fuisse constat, quando dixit apud Matth. 16. v. 24. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. 2. votum* Castitatis constat ex eo; quod dixit apud eundem, *cap. 19. v. 12. Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum: &c.* votum Paupertatis paulo inferius constat *v. 21.* quando dixit: *Si vis perfectus esse vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo.* At verò quoad modum peculiararem, & regulam vivendi, Juris sanè Ecclesiastici est Religiosus status, & quidem adeo pendet ab Ecclesia approbatione Religionum institutio, ut sine ea nullus Ordo Religiosus subsistat. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3.* & est omnium Catholicorum sententia, teste Suar. *de Relig. t. 3. lib. 3. c. 2.* Apostolos quidem verè Religiosos fuisse tribus prædictis votis adstrictos, docent *com. DD.* Religionisque statum vovisse, quando relictis omnibus secuti sunt Christum, *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 3. cap. 2. n. 8. Ponce de Matrim. lib. 7. cap. 2.* ubi hoc varijs Patrum testimonijs probat, & illustrat. Et hi fuerunt primi Legis Gratiæ Religiosi. Omnes certè Christiani debeat tenere, uniusquique juxta suum statum, ad Chriſtianam perfectionem, quæ essentialis dicitur, & est simpliciter necessaria ad vitam spi-